



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CORENSIS*** INTRA VENETIOLAE FINES
CONDITUR NOVA PROVINCIA
ECCLESIASTICA, CORENSIS SCILICET, QUAE AD
DIGNITATEM ECCLESIAE METROPOLITANAEE ATTOLLITUR Usque omnium Ecclesiarum spiritalem prosperitatem
persequentes, cuncta subsidia disponere contendimus quo id facilius efficaciusque obtineatur. Quapropter postulatis
occidentes Conferentiae Episcoporum in Venetiola, de plerorumque consensu, favente Venerabili Fratre Leonardo
Sandri, Archiepiscopo titulo Aemonensi seu Civitatis Novae et in Venetiola Apostolico Nuntio, ex concilio Congregationis
pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Novam Provinciam
Ecclesiasticam condimus *Corensem* appellandam et eam archiepiscopalim metropolitanae sedis fruentem dignitate,
iuribus privilegiisque, quae complectetur Ecclesiam eiusdem nominis et dioecesim Punctifixensem, hactenus ad
Provinciam ecclesiasticam Maracaibensem pertinentem. Antistitem pro tempore statu et gradu Metropolitae honestamus
secundum sacrorum canonum praescripta. Ideo Corensem in praesentia Episcopum, scilicet Venerabilem Fratrem
Robertum Lückert León, ad dignitatem archiepiscopalem et Metropolitae condicionem promovemus, omnibus videlicet
tributis iuribus privilegiisque consentaneis. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Leonardum Sandri, quem
supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum
subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta confiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro
Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio et*
vicesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo ottavo, Pontificatus Nostri vicesimo
primo.

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

JOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Carmelus Nicolosi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 2, pp. 148-149 © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana